

**I. LITTEARE MAIESTATIS REGIAE
OCCASIONE PROCLAMATIONIS VIAE IN SLESIAM^a**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazouiae etc. dominus et heres. Magnifico Spithkoni de Tharnow, castellano Radomiensi, regni nostri thesaurario, tunc Siradiensi, Krzepicensi, Krzeszowiensi, Brzeznicensi etc. capitaneo, sincere nobis dilecto, in eius absentia vicecapitaneo Siradiensi. Magnifice, sincere nobis dilecte. Quum periculum sit ne quod in discrimen adducat regnum nostrum, hi qui extra regnum ad militiam proficiscuntur, cum fieri possit^b, ut ipsi eorum opera opus habeamus, mandamus Sinceritati Tuae, ut promulgari sive proclamari voce praeconis ubique faciat, in omnibus foris locisque publicis capitaneatus Sinceritatis Tuae, ne quis extra regnum aliquo militatum proficiscatur sub gravi indignatione nostra et potius in statutis et constitutionibus regni nostri descriptis. Similiter quicumque se habere praetendent teloneorum, vectigalium immunitatumque privilegia, de quibus^c tollendis vel pro necessitate colligendis superioribus conventionibus est constitutum, ut qui eorum munimenta nondum exhibuerant, exhibeant sive ostendant, quod qui non fecerint, eorum privilegia, que habuerunt super telonea et vectigalia sive immunitates superius expressas, ne ista prorsus et nullius momenti esse decernemus atque eorum usum prohibeamus. Similiter voce praeconis proclamari faciat, ut ne quis uti audeat moneta ducis Legnicensis ad imaginem Prussiae expressa tanquam falsa et adulterina, ubicumque autem post promulgationem edicti huius nostri transactis scilicet hebdomadis reperta haec moneta fuerit, eam Sinceritas Tua accipiat et ad nos transmittat, pro falsa enim haberi eam volumus¹. Volumus praeterea et mandamus, ut pro officio suo provideat Sinceritas Tua, ne vel mercator vel nobilis vel alius quispiam cuiuscumque status et dignitatis ac ne vector quidem aliquis e dicionibus nostris in Slesiam et Hungariam cum mercibus proficisci aut merces et quascunque res usuales inde advehere audeat, sub poena amissionis omnium mercium et rerum illarum quarum duae partes fisco nostro, tertia pars Sinceritati Tuae cedet². Prohibeat etiam Sinceritas Tua, ne quis per novas et insolitas vias in Slesiam et Hungariam iter faciat ac proclamari ubique iubeat, quod qui iure convictus fuerit, etiam et furtim mercium et rerum venalium aliquid in Slesiam et Hungariam e regno aut inde in regnum advexisse si is nobilis fuerit, centum marcis mulctabitur, si vero mercator vel vector, graviore etiam poena, in senatus consulto conventionis Piotrkowiensis descripto afficitur. Quod ut diligenter Sinceritas Tua provideat, sub gravi indignatione nostra et officii privatione mandamus. Datum Vilnae, IX mensis Maii, anno Domini MDXLII [9 V 1542], regni vero nostri anno XXXVI. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

^a *WMRPS*, cz. IV, vol. 3, nr 20783, s. 178, tytuł ten brzmi: Litterae regiae ad capitaneos regni, ut proclamari faciant, ne quis extra regnum aliquo militatum proficiscatur, ut privilegia super telonea et vectigalia ab omnibus ostendantur utque moneta ducis Legnicensis ad imaginem Prussiae expressa, tanquam falsa et adulterina ad commercia viaeque in Slesiam et Hungariam prohibeatur. ^b *Odczyt wątpliwy*. ^c *Następuje skreślony wyraz ze skrótem*.

¹ *Por. wyżej, nr XXXVI, V — sejm walny piotrkowski 1527/1528 r.: Litterae universales contra monetam Swydnicensem (tekst i przypisy 1 oraz 2)*.

² *Por. wyżej, nr XXXVIII, IV — sejm walny piotrkowski 1529/1530 r.: Relaxatio prohibitionis itinerum in Slesiam; nr XLVII, VI — sejm walny piotrkowski 1538 r.: Litterae occlusionis itineris in Slesiam et Hungariam*.